



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 109. Cæsar cum exercitu suo in Italiam

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

nice intentus esset. Quapropter Cæsar Sæcul. XVI.  
 præter morem hoc anno solus belli mo- A.C. 1516.  
 lem sustinere compellebatur, spe fretus,  
 rebus in Italia a se turbatis, ceteros bre-  
 vi Principes armorum suorum societa-  
 tem expedituros.

## §. CIX.

*Cæsar cum exercitu suo in  
 Italia.*

Ergo famam sibi conciliatus, Gallis *Petr. Justin.*  
 bellum nunciavit, atque ex quinque *l. II.*  
 illis Pagis, qui foedus cum Francia ini-  
 re recusabant, quindecim Helvetiorum  
 millia conduxit, adjunctis totidem Ger-  
 manis, ac peditum quinque millibus.  
 His copiis auctus numerosum contraxit  
 exercitum, tantaque celeritate, ac silen-  
 tio Tridentinas alpes superavit, ut non-  
 nisi accepta de ejus in Longobardiam  
 adventu notitia, illius iter innotuerit. Eo  
 tempore Venetos Veronæ ac Brixiae  
 obsidio distentos tenebat; cumque Cæ-  
 sar nunciatum esset, utriusque urbis præ-  
 fidiarios ære militari non soluto sedi-  
 tionem moliri, quantocius eo pecunias  
 cum trium millium præsidio transmisit;  
 Lautrecus vero, qui Gallis, Venetisque  
 copiis imperabat, missas a Cæsare pecu-  
 nias edoctus, confestim in eas involabat,  
 ac prope Anfonam octingentis Germano-

K 2

rum

**Sæcul. XVI.** rum trucidatis ceteros in fugam egit:  
**A.C. 1516.** Maximilianus comperto suorum fato iter  
 accelerandum ratus, jam Mense Martio  
 Veronam pervenit. Veneti ejus adven-  
 tu obstupefacti toto pedum studio fugam  
 arripiunt: Cæsarei vero trajecto Ollio  
 Cremonæ castra metantur, ac Veronen-  
 sibus præsidiariis per Mincium flumen  
 advectis aucti, nullo ferme obnitente Me-  
 diolanum proprius accedunt. Attamen  
 diuturnior, quam Cæsar in Asulanæ ur-  
 bis expugnatione traxerat, mora Vene-  
 tis se colligendi spacium indulxit, qui in-  
 terea cunctis follicite providebant, ut sese  
 illis decem Helvetiorum millibus jun-  
 gerent, quos Baro de Alt-sassia ad Gal-  
 lorum vexilla in octo Pagis, qui foederi  
 accesserant, conscripsit.

### §. CX.

*Papa contra pacata cum Gallis inita  
 Cæsari favere creditus.*

**Spond. ann.** Ceterum existimant nonnulli, summum  
**1516. n. 4.** Pontificem prospero Cæsaris succes-  
 su delusum censuisse, quod inita cum Gal-  
 lis foedera rescindere, sibi integrum fo-  
 ret; Marcum enim Antonium Columnam  
 cum ducentis cataphractis Maximilia-  
 no suppetias misit, ac Bibienam Cardina-  
 lem selegit, qui velut Legatus Cæsaream  
 suam Majestatem adiret. Nihilominus  
 tamen,